



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

33 Votum qui commutare valet, poenam ob illius fractionem remittere nequit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XXIX.

Ex conf. 29. alias 24.

39 **V**ouens simpliciter religionem ingredi, intrando religionem, & postea superueniente morbo exiens, voto satisfecisse censetur, nec cessante infirmitate redire tenetur, quia sic vouens, vouere censetur secundum formam iuris, ex S. Th. 2. 2. q. 89. ar. 4. quæ habet vt intra annum probationis ingrediens religionem, ob infirmitatem, aut aliam causam non sibi gratam libere exire possit, cap. ad Apostolicam. de reg. & c. 1. & 2. tit. eod. in 6.

DECISIO XXX.

Ex consil. 30. alias 40.

30 **R**egularis professus licet votum transeundi ad arctiorem religionem sine auctoritate superioris emittens ad eam implendam teneatur, nec Prælatus illud irritare queat: ex S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8. Cœt. ibi. Sotus lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. super illo tamen dispensare, aut illud in aliud commutare potest. Quamuis enim religiosus nullam propriam habeat voluntatem, sed a voluntate Superioris dependet, c. non dicatis. 12. q. 2. & c. quorundam & c. religiosus. de elect. in 6. & proinde Superiori quoad omnia contenta in regula, & etiam quoad non contenta, quæ sunt, vel esse possunt opportuna regulæ seruandæ, subijcitur i. c. Monacho. 20. q. 4. quia tamen exitus, & transitus ad arctiorem religionem non est de contentis in regula, nec de opportunis ad eam seruandam, immo potius de contrarijs, c. licet. de reg. proinde in istis voluntati Superioris non subijcitur, ideoque factum votum obligat. Quia vero potestas irritandi votum ex subiectione nascitur, quæ ratione votum tale sine Superioris consensu factum obligat, eadem constat, non posse ab eo irritari. Cum autem tale votum non sit proprie votum religionis, sed de transitu ab vna ad aliam religionem, & longè aliud & minus, quam votum de ingressu religionis, vt constat: consequenter reservatio, qua votum religionis Papæ referuatur quæ est exhibitans a communi regula iuris (quæ concedit Episcopis dispensationem & commutationem votorum) nõ est extendenda ad hoc quod est minus: eo quod iura exorbitantia non sunt extendenda ad alium casum, c. odia. de reg. iur. in 6. nec a separatis fit illatio. l. Papinianus. ff. de minoribus. Et ideo sicut potest Prælatus dispensare super tali voto, ita a fortiori illud commutare potest, cum longè magis sit dispensare, & cui licet quod est plus, licet vti que quod est minus, c. licet. de reg. iur. in 6.

DECISIO XXXI.

Ex conf. 31. alias 34.

31 **N**obilis iuuenis habens coniugem iuuenem infirmam, & morti proximam & turbatus dolore vult cuidam sancto mille scuta, si vxor conualesceret, quæ conualuit, sed deinde superuenit mors patris eiusdem iuuenis, qui multa debita relinquit, & filiam virginem indotatam, & natæ sunt eidem iuueni duæ filæ: ex Papæ licentia illa mille scuta in dotem sororis pauperis, & filiarum suarum, attento maximè quod bona vouentis vix quatuor mille scuta valeant, commutare licet potest. Quamuis enim ecclesiæ titulum illius Sancti habenti ius quæ situm fuit ad illa mille, & proinde necessarius videtur consensus ecclesiæ cũ id quod nostrum est, sine consensu nostro auferri nequeat: l. id quod nostrum ff. de reg. iur. quia tamè Papa relicta in vsus pios in alios commutare potest, Clem. quia contingit. de relig. domib. & donatio rei facta alicui cum adiectione, vt eam det alteri tertio, quoad illum tertium volente donatore. & donatio principali reuocari potest; l. qui Romæ. S. Flavius. ff. de verb. obl. & ibi Bar. & Deus donarius principalis est volente Papa eius vicario, iusta de causa donatio illa in alium pium vsum commutari potest.

DECISIO XXXII.

Ex conf. 32. alias 18.

32 **V**ouens statim habitum Presbyteralem assumere, & postea suo tempore presbyter fieri, statim habitum assumere tenetur, nisi iusta de causa Episcopus dilationem concedat, & dispenset: Assumptionem vero ordinis presbyteralis etiam si legitime ætatis fuerit causa studendi, & se ad illud idoneum facienti, etiam sine Episcopi dispensatione differre potest. Arg. c. cum in eo. de elect. in 6. qui etiam Episcopus iusta de causa votum illud Presbyterij, cum non sit de numero quinque votorum referuatum Papæ, videlicet, perpetuæ continentis, Religionis, Peregrinationis in Hierusalem, vel Romam, vel S. Iacobum Compostellæ, c. Et si Dominici, de pœnit. & remiss. ex Nau. in Man. c. 12. nu. 75. in aliud maius, vel æque bonum commutare potest, Nihilq. obstat quod votum Presbyterij votum etiam perpetuæ continentis sub se includere videtur, quod est illi annexum: quia etiam votum religionis ad sui complementum propriè perpetuam continentiam includit, non tamen propter hoc Religionem vouens, illam vouere censetur ex Nau. in Manua. cap. 12. num. 47.

DECISIO XXXIII.

Ex conf. 33. alias 31.

33 **C**um aliud sit commutare, aliud remittere penam ob fractionem voti, habes potestatem certa vota commutandi. penam ab eorum fractionem remittere nequit: a diuersis enim non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minorib. c. ad audientiam, de decim. si tamen ante penam incurram commutatio fiat, non incurretur pœna, eo quod non frangitur votum, iam per commutationem sublatum, & quod non est, nec frangi, nec dissolui potest, c. ad dissoluidum, de desponsat. impub. priuatio enim habitum præsupponit. Decem. de verb. oblig.

DECISIO XXXIV.

Ex conf. 34. alias 14.

34 **C**um absolutio a fractione voti, aut a pœna incurra ratione fractionis eiusdem & absolutio a voto, inter se diuersa sint, ita quod votum perpetuè obligat semper, quamuis vouens a peccato fractionis voti, seu a pœna incurra ob votum fractum absoluat; ex S. Ant. 2. p. tit. 12. S. 2. c. 2. ideo vouens, vel iurans se non peccaturum certum peccatum sub pœna intrandi religionem, & postea peccans illud, religionem intrare tenetur, & impetrata dispensatione solum super pœna intrandæ religionis, quam ob voti fractionem incurrit, iterum peccando ad illam intrandam de nouo tenetur; quia non fuit dispensatus super voto non peccandi sub pœna intrandæ religionis, sed solum super obligatione intrandæ religionis incurra ob primam voti transgressionem, quæ res diuersa est ab illo voto de non peccando sub pœna intrandæ religionis, ex Nau. in Man. cap. 12. num. 79. & a diuersis non fit illatio. Dispensatus autem a voto non peccandi sub pœna intrandæ religionis, quamuis iterum peccet, religionem tamen intrare non tenebitur, eo quod sublato principali tollitur accessorium, l. cum principali, ff. de reg. iur. c. accessorium de reg. iur. in 6.

DECISIO XXXV.

Ex conf. 35. alias 32.

35 **V**ouens facere elemosinas si amplius certum aliquid peccatum committeret, & postea peccatum illud committens, etiam si forte votum eius confessarius irritet: Iubilæi, in quo Papa concessit Confessarijs facultatem commutandi vota, sed nullam mentionem fecit de condonatione obligationis ad solvendas pœnas in incurras in dotationem alicuius pauperis commutavit; ad elemosinas tamen ob fractionem voti prius debitas faciendas, non obstante præfata voti commutatione a confessario facta, obligatur. Quia cum aliud sit obligatio soluendi pœnam iam incurram ratione voti violati, & aliud votum ipsum, & a